DON ISABELLA GONSAGA COLVMNA D'ARAG.A

DVCISSA SABLONETÆ, ET SAC. ROM. IMP. P.SSA PRINCIPISSA HOSTILIANI,

DVCISSA TRAIETTI, ET MONTIS DRAGONIS, FVNDORVM, ALIANI,

PLATINÆ, SATRIANI, ET CALENI COMITISSA, DÑA BARONIÆ LAVINANI,

CIVITATIS THEANI, AGNONI, ET CARAMANICI

Perſpectam, et notam habentes fidem, et deuotionem quondam Fabiani de Finardis Tabellionis dilecti & fidelis ſubditi nri, plurimis ab hinc annis nrę. Ciuitatis Sablonetę incolę, Exc.mo Duci Veſpaſiano Pri nostro glorioſę mem. per annos quindecim, et usquè ad ipſius mortem fideliter inſeruiendo, et uolentes teſtimonium facere quam nobis grata, et fidelis fuerit ſeruitus per eundem sic (ut prefertur) preſtita hui9 nostri Priuilegij firmiter ualituri tenore arbitrij nostri uigore, ac de plenitudine poteſtatis noſtrę, quibus publicè fungimur in dicta Ciuitate Sablonetę, et eius Territorio ex certa noſtra ſcientia, animoq; bene deliberato, ac omni meliori modo, iure, uia forma causa, et cauſis, quibus magis melius, et ualidius ſcimus, poſſumus, et debemus GVLIELMVM eiusdem Fabiani iam filium, eiusquè legitimos filios, ac naturales, et ex legitimo matrimonio procreatos, et deſcendentes omnes ab eo masculos tantum in infinitum admittimus conſtituimus, facimus, et creamus Ciues dictę Ciuitatis noſtrę Sablonetę. Itaquod perpetuò et futuris perpetuis temporibus sint, et eſſe debeant immunes, liberi, et ſeparati, ac reputati pro ut omnes alij eiusdē Ciuitatis noſtrę antiqui Ciues. Insuperquè ipse Gulielmus, et dicti eius filij perpetuis tractentur prout alij Ciues originarij antiqui tractantur, et hucusquè tractati fuerunt, et utantur perpetuò fruantur, ac gaudeant et uti, frui, gaudereque poſſint et ualeant eiſdēmet gratijs honoribus, dignitatibus, emolumentis, immunitatibus, exemptionibus, ac quibuscunq; alijs priuilegijs, et prerogatiuis, quibus alij antiqui Ciues ut ſupra utuntur, fruuntur, et gaudent, bonis tamen, quę poſſidet, et poſſidebit ipse Gulielmus, eiusquè filij, et deſcendentes ut ſupra poſſidebunt in sui natura permanentibus, aliquibus in contrarium non obſtantibus, quatenus obſtarent, uel obſtare poſſent ex certa noſtra ſcientia, ac de plenitud.e poteſtatis noſtrę derogamus, et derogatum eſſe uolumus. Mandantes Locumtenenti noſtro, ac Pretori dictę Ciuitatis noſtrę, et quibuscunq; alijs, ad quos ſpectat, ut hoc preſens noſtrum Ciuilitatis Priuilegium perpetuò, et inuiolabiliter obſeruent, et ab alijs obſeruari faciant sub noſtrę indignationis pœna. IN Quorum fidem, robur, et teſtimonium illud fieri, et registrari iuſſimus manu noſtra ſubſcriptū, et ſigillo noſtro munitum. Datum in Palatio Terre noſtrę Turris Octauę Die Duodecimo Menſis Nouembris Milleſimo, Sexcenteſimo Decimo Septimo.

Isa. Prin.a di Ostig.no

Petrus Damianus Secr.

Reg. fol. 47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853196290-15

1617 [illegible]/V

28 (24)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853196290-15